ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

V. N. Constantino Hugenio
equiti, Principi a secretis.
S. D.

Vir Nobilissime

Importuna garrulitate aures gravioribus intentas obtundere pergo, in querelas calamo feracior, quam capitum fabulosa foecunditate Hydra repullulans. In tua vero humanitate fronti nostrae patrocinium quaerimus, quam toties periclitari iniquae Musis angustiae cogunt. itaque cum amicissimus Heinsius ad Haganos excurrere vellet, hac sarcinula eum onerabi. non adeo probae monetae versiculi sunt, quos inter sordidiores coquinae incolas aegerrimus extrusit. Illos tamen lege, sed ut Catoniani supercily pondus arceas. Pallidiuli enim tenniculo spiritus suscitabulo calent, qui moribundos destituet, si rugosi Censoris minae ingruant. Vale vir nobilissime, et Gruteri tui memor esto. VI Cal. January CIↃ IↃC XXXIIJ. quem tibi tuisque felicem precor.

Eidem

Quam dubie sors cuncta rotat, quam dispare vultu
rebus in humanis ludere numen amat!
alterne mundana labant, prostrataque surgunt;
duraque lex coeli, mobile versat omne.
Nec solos haec damna premunt illustria fasces,
haec trabe per casus nobilitata suos.
plus trepidat nimbis plebes concussa sub illis
sors quoque ludibrio reptile vulgus habet.
sed latitant angusta domi, nec dedita mundo,
neve per annales conscia fama vehit.
sic mihi per gemitus innoxia defluit aetas;
tempora vernantis praecipitata ruunt.
Mens erecta suos non raro surgit ad ortus;
progeniesque poli bibida, ridet humum.
crudior ex tetricis nectit sors vincula curis,
tardaque servili compede crura sonant.
mitius Andromedam durae strinxere catenae,
cum jacuit monstro dilamianda truci.
me quoque caucasei praerupta per ardua saxi
exagitat flagris sors inimica suis.
dissilient subito tristes, te vindice, nexus,
conatuque levi ferrea claustra patent.
tu medicas extende manus, vir magne, coibunt
vulnera, cantanti sollicitata mago.

Tuus
Isaacus Gruterus

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/848b

Nobilissimo viro
Constantino Hugenio
equiti; domino in Zuilychem
Illustrissimo Principi a
secretis. etc.

amicâ manu

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/848b